

minus ad quem accedentes lapidem vivum etc. (a); sic quod legitur Is. VIII. 13. « Dominum exercituum ipsum sanctificate » ad Christum refert scribens: « Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris » (b). S. Judas egregius coloribus pingit hæreticos: « Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et D. N. J. C. negantes » (c) et v. 5. inducit Christum Jesum præexistentem et supremam exercentem potestatem: « Quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt perdidit. Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit ». S. Joannes passim id ipsum inculcat vocans J. C. vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis, verbum vitæ, verum Deum (d): in Apocalypsi eum dicit Alpha et Omega, principium et finem, Dominum dominantium, Verbum Dei (e). Apostolus item Incarnationem vocat magnum mysterium, mysterium absconditum a seculis in Deo etc. (f).

Quibus præmissis istud jam exurgit ineluctabile argumentum a quo nunquam se poterunt sociniani, unitarii, ac rationalistæ subducere: Christus se ipsum Filium Dei proprium multiplex ratione dixit et declaravit, ad hanc inculcandam veritatem direxit miracula sua, eandem sanguine ac morte obsignavit. Hanc inculcavit Judæis et discipulis suis; de vera ac proprie dicta divinitate Christi verba intellexerunt Judæi et discipuli, hanc ei vindicarunt evangelistæ, et scriptores omnes inspirati, qui hujus articuli professionem veluti præcipuum fundamentum constituunt fidei a se prædicatæ. Ergo vel in Christo Jesu vera ac proprie dicta divinitas agnoscenda est, vel nunciis remittendus toti christianismo, qui totus illi articulo innititur.

Dixi vel nunciis remittendus toti christianismo, quia tota qua late patet christiana religio hunc articulum supponit ac necessario postulat; postulat reconciliatio Dei cum genere humano lapsa ac redintegrata, postulat officium meditationis et satisfactionis a Christo præstitæ, postulat œconomia gratiæ, et sacramentorum, præsertim Eucharistiæ; postulat ipsa futura e mortuis excitatio (g). Sane dogmata ista omnia sociniani et rationalistæ omnino e medio sustulerunt. Omnis spes nostra corrui; corrui præcipua incantamenta ad Deum colendum ac diligendum. Hinc non immerito ariani, sociniani ac rationalistæ passim deistæ aut semideistæ sudiunt, cum vix umbram christianismi reliquerint (h).

(a) I. Pet. II. 5.

(b) Ibid. III. 15. Ubi animadvertendum conceptis verbis Christum vocari Dominum Deum juxta text. gr.

(c) V. 4. Hic rursus patet Christum vocari pariter Deum in gr. text. Dominum Deum.

(d) I. ep. I. 2. v. 20.

(e) I. 8. XIX. 13. 13.

(f) Coloss. I. 26. al.

(g) Cf. Quæ diximus in tract. de Deo creatore part. III. cap. VII. prop. II.

(h) In istorum systemate christiana religio non

urgenda hie esset perpetua Ecclesiæ traditio unanimis et constans circa hunc ipsum articulum; verum cum præcipua capita fuscæ jam prosecti sinus in tract. de Trin. (a); ubi ex publica fidei professione, institutione catechumenorum, fidei nostræ symbolis, ex confessionibus Martyrum, ex consensu ipso ac testimonio omnium hæreticorum, Judæorum atque ethnicorum luculentissima documenta in medium protulimus; ad eum locum nostros auditores remittimus, ne eadem rursus repetamus; cum præsertim hæc propositio aliquanto longius excurrerit, quam institui nostri ratio postulabat (b).

DIFFICULTATES.

I. Obj. Christus in terris legati Dei munus sustinuit, ac Dei personam proinde retulit; nomine Dei propterea loquebatur, sibi Dei nomen ac dignitatem vindicavit ac Dei proprietates, atque in se officia omnia fidei spei et charitatis exegit, adorari voluit tanquam Deus longe potiori jure quam Angeli, qui apparebant in V. T. quum multo illustrius ac dignius illis Dei personam representaverit. Hoc vero canone semel constituto, jam sponte sua concidunt quæ a catholicis ad adstruendam Christi divinitatem congeruntur. 2. Etenim si Angelus in rubo dicere potuit ego sum qui sum, si potuit affirmare. Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, si cultum supremum sibi deferri jussit, si Dei proprietates sibi vindicare potuit, quin Deus reipsa esset aut duplex in ipso natura fingenda sit, multo magis Christus utpote Dei vicarius et legatus hæc potuit de se prædicare, Judæis et discipulis credenda proponere, et scriptores sacri litteris commendare quin ipse revera Deus esset. Ergo.

Resp. N. A. Etenim 1. numquam Christus se ut merum Dei legatum aut Dei personam referentem perhibet, sed constanter ut Dei Filium unigenitum ac proprium se exhibet a Patre in hunc mundum missum ad eum illuminandum ac salvandum, nec aliter de ipso scriptores sacri loquuntur; 2. numquam scripturæ Christum ut Deum ingentium describunt, sed semper ut Filium Dei et Deum de Deo; 3. tribuunt ei immensitatem, omnipotentiam, æternitatem ac reliquas divinitatis notas, sed ut a Patre omnia accipientem; 4. dicunt eum ubique esse, sed cum Patre venientem ad eos, qui ipsum diligunt; 5. cælum et terram creasse referunt, sed ut Verbum per

evasis nisi religio naturalis mythis ac formis biblicis involuta, prout polytheismus atque idololatria ipsa juxta eosdem non fuerunt aut sunt nisi religio naturalis mythis poeticis vestita. Totum propterea discrimen inter religionem christianam et polytheismum atque idololatriam unice pendet a diversitate mythorum atque formarum sive symbolarum quibus ejusmodi religiones obvolata sunt.

(a) Cap. III. prop. II.

(b) Cf. Prud. Maran Divinitas D. N. J. C. manifesta in scripturis et traditione Paris. 1746. lib. I. p. II. c. I. seqq. in quibus collegit et illustravit omnia N. T. testimonia quibus Christi Dominus divinitas adstruitur. Tam lib. II. III. et IV. in quibus late id ipsum præstat quoad universam traditionem.

quod creata sunt: ante mundi constitutionem fuisse, scilicet apud Patrem. Jam vero, si Dei nomen et proprietates sibi tribuisset Christus ea tantum de causa, quod Dei legatus esset et personam sustineret, absolute debuisset hæc sibi vindicare et nunquam se a Deo, seu Patre distinguere. Hæc sola animadversio totum labefactat systema socinianorum et rationalistarum. Sed addendum præterea talia in scripturis de Christo affirmari, quæ non nisi summa impietate de Patre, quem solum Deum summum adversarii autumant, dici possent, et tamen divinitatem Christi mirifice confirmant. Sic e. g. cum tradunt eum descendisse de cælo et ascendisse in cælum; per eum omnia creata esse, et cum in forma Dei esset et æqualis Deo, formam servi assumpsisse, et habitu inventum ut hominem. Sed neque in Patrem conveniunt Christi dicta: « Ego in Patre et Pater in me est; Ego et Pater unum sumus: Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris; aliaque ejusmodi. Non igitur ut Angelus personam Dei representans, ejusque nomine cum hominibus disserens ita Christus loqui censendus est, sed ut æqualis Deo ingentio, et ab eo genitus (a).

Ad 2. seu ad conf. Dato etiam, quod adversarii pro certo sumunt, quod alii vehementer negant, numquam Filium sed semper Angelum Patribus in V. T. apparuisse ac visum fuisse (b); ex dictis enim ingens patet discrimen inter Angelum Dei legatum et Christum, et quidem multiplex. Nusquam enim in his Angelorum ministeriis ulla unio exhibetur angelicæ nature cum divina, nec Angelo proprietates divine tribuuntur nec Deo angelicæ. Etsi Angelus eum Dei personam representat, creatorem se dicat cæli et terre, nusquam cælum et terra a Deo per Angelum

(a) Cf. Maran. op. cit. I. c. cap. XX. §. 2.

(b) Cf. Hengstenberg. Christologia V. T. p. I. c. III. p. 219. seqq. eisi non omnes opiniones Auctoris admittamus; siquidem ipse, utpote protestans, ex generali thesi, quod per Angelum Jehova, aut federis semper secunda Trinitatis persona significetur, vult inferre catholicis deesse fundamentum biblicum ad cultum angelorum adstruendum. Porro hanc sententiam expendimus in tract. de cultu sanctorum.

Ceterum Verbum ipsum Patris apparuisse passim in V. T. patriarchis communis fuit veterum sententia ut constat ex Synodo I. antioch. in epist. ad Paulum Samosatensem apud Colet S. J. Cone. collect. Venet. vol. I. p. 366. 70. Justin. M. in Dial. cum Tryph. n. 126. ed. Mar. tum in Apol. I. n. 65. Auct. Constit. Apostolic. lib. V. c. XX. apud Coteler. t. 1. p. 325. seq. Irenæus Cont. hæres. I. IV. c. VII. §. 4. edit. Mass. Theophilus I. II. n. 22. Bibl. PP. ed. Ven. t. II. Clem. Alex. paedag. lib. I. c. VII. ed. Potteri t. I. p. 151. seqq. Tertullian. Cont. Prax. c. XVI. ed. Rig. Cyprianus cont. Judæos lib. II. capp. V. VI. Hilarius de Trin. I. IV. §. 51. seqq. ed. Maur. Euseb. Demonstr. evang. I. V. c. X. Cyrill. Jerosolym. Catech. XII. n. 15. ed. Touss. Cyrill. Alex. in Exod. I. I. opp. ed. t. Auberti T. I. pag. 262 Jo. Chrysost. Hom. LVIII. in Genes. n. 5. Ambros. De fide ad Grat. opp. ed. Maur. t. II. p. 460. Theodoretus in Exod. interrog. V. opp. ed. Sismond. t. I. p. 78. alique passim usque ad s. Augustinum. Hinc sublatum est præcipuum socinianorum fundamentum.

creata dicuntur. Nusquam dicitur nature in una persona de Angelo prædicantur, prout prædicantur de Christo, quem scripturæ Deum manifestatum in carne, Verbum carnem factum et habitans in nobis, Deum qui sanguine Suo Ecclesiam acquisivit, aliaque non pauca annunciant, quæ in magno Incarnationis mysterio occurrunt. Quaquaversum igitur spectetur socinianorum commentum, patet absurdum esse, neque cum biblicis fundamentis, multo minus cum traditionalibus componi posse (a).

II. Obj. Causam ob quam Filii Dei nomen assecutus est Christus, non ab ejusdem nature divine identitate cum Patris natura assignant scripturæ, sed eam vel ab admirabili ipsius virginis conceptione, vel ab ejus resurrectione et gloria repetunt. I. Etenim Luc. I. 35. alloquens Angelus Mariam ait: « Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei ». Prima ergo causa, inquit Crellius, cur Jesus Dei Filius extiterit ea est, quod non ex viro, sed ex Deo, virtute atque efficacia ipsius interveniente, conceptus ac generatus fuit, et sic nullum alium, præter Deum, habuit Patrem (b); eo nempe sensu, subdit Kuinoelius, quo Adamus quoque Luc. III. 38. Filius Dei dicitur (c). 2. Alteram causam appellationis Filii Dei Christo attributæ aperit Apostolus tum Act. XIII. 52. ubi resurrectionem prædictam his verbis fuisse declarat: « Filius meus es tu: ego hodie genui te; » tum initio epist. ad Rom. scribens: « De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N. » (d). 3. Tertiam etiam causam hujus denominationis attulit Christus ipse Jo. X. missionem scilicet suam a Patre ac sanctificationem: cum enim Judæi, pergit Crellius, blasphemiam crimen ipsi objeissent, quod homo cum esset, Deum se ipsum faceret, ita eis respondit: « Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemias: quia dixi, Filius Dei sum? » Ubi apparet hanc Christum afferre rationem, ob quam longe majori jure Filium Dei sese appellaverit, quam judices illi olim Diu fuerint appellati, quod a Patre sanctificatus et in mundum missus fuerit. Profecto, si Christus summus ille Deus fuisset, si fuisset ex essentia Patris ab æterno genitus, et eam ob causam Dei Filius, qui fieri potuisset, ut id hoc loco reticeret? Nam si nullus erat locus, ubi id esset exprimendum, hic profecto erat (e). Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Si particula ideoque usurpata ab Angelo esset ad significandam causam deno-

(a) Cf. Maran. I. c.

(b) Lib. I. de uno Deo Patre c. XXXI. in FF. Polonor. Irenopoli 1656. tom. IV.

(c) Comment. in lib. hist. N. T. tom. II.

(d) I. 3. 4.

(e) Crell. I. c.

minationis *Filii Dei*, C. si usurpata fuit ad significandam causam qua sic decebat Filium Dei concipi ac nasci N. Dato enim quod hic particula *ideoque* sit causalis (a), expendendum superest cujusnam rei causam exprimat. Jam vero cum Angelus jam dixerit Mariae: « Ecce concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur (id est erit (b)): et dabit illi Dominus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis » (c); patet angelum denunciasset B. V. tempus advenisse implendorum vaticiniorum Isaie VII. et IX. quibus prae dicebatur nasciturum ex Virgine *Emmanuel*, qui vocandus erat *Admirabilis, Deus, Fortis*, etc. seu Messiam Filium Dei, qui propterea ex Virgine nasci debebat. Cum utrumque pro certo teneret Beatissima Virgo Maria, tum se Filium Dei parituram, tum virginem permansuram, sciscitatur ab Angelo modum quo haec perficerentur. De hoc modo eam Angelus instruit per obumbrationem scilicet Spiritus S. id perficiendum declarans, deinde redit ad illud quod de hoc filio nascituro praemiserat concludens: « *ideoque* quod nascetur ex te Sanctum vocabitur (seu erit) Filius Dei, » ac si diceret: talis est ortus, qui juxta vaticinia decet Filium Dei. Alioquin si post magnificentem illud exordium deduxisset Angelus totam rationem et causam filiationis divinae ad modum seu rationem qua perficienda erat conceptio filii nascituri, Mariam a praecleara illa notione quam ei injecerat ad exitum plane ac jejunam revocasset (d).

Hinc exploditur quoque Kuinoelii commentum quo contendit eodem sensu hic vocari Christum Filium Dei, quo Filius Dei dicitur Adam Luc. III. 38., ut pote immediato Dei interventu procreatus. Diversa enim substrata materia diversum sensum postulat; nec ea militat pro Adamo argumenta, quae pro natura Christi divina faciunt, ut ex dictis constat; perperam igitur verba Lucae III. huc adducuntur, cum nulla intercedat inter utrumque locum necessitudo atque relatio.

Ad 2. N. Etenim ut duobus prioribus textibus insistamus, non ex resurrectione aut sacerdotio colligit Apostolus Christum esse Filium Dei et a Deo Patre genitum, neque in hoc sensu applicat ipsi verba Ps. II. « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » sed

(a) Nam plerique interpretes jure negant hic particula *ideoque* esse causalem, sed asserunt esse applicativam, prout contextus exigit, quod neque inficitur Crellius I. c. qui ultro dat posse veri graecam vocem *deus etiam*.

(b) Est enim hebraismus *vocabitur pro erit*, ut pluribus exemplis ostendit Maldonatus ad h. l. cujus tamen auctoritate abutitur Crellius.

(c) Luc. I. 31. seqq.

(d) Cf. quae superius diximus de traditione et sensu Judeorum ex illis oraculis circa divinitatem futuri Messiae. Certe patres, ut annotavimus in tract. de Trin. ex hac conceptione colligebant adversus arianos divinitatem Christi. Cf. Maran I. c. p. 184. seqq.

contra potius ex eo quod Christus sit Filius Dei colligit debita ei fuisse resurrectionem et sacerdotium. Sane Apostolus Heb. I. 5. independentem tum a resurrectione tum a sacerdotio, absolute interrogat: « Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? » Non igitur ad resurrectionem aut sacerdotium, tanquam causam refert Apostolus denominationem Filii Dei, sed ad aeternam generationem: alioquin minime ostendisset quod sibi proposuit, nempe Christi excellentiam super Angelos. Absurdum enim esset asserere Christum Angelis praestare eo quod ille excitatus sit a mortuis, Angeli vero non item.

Quare in utroque textu disjungi debent priora illa verba: *Filius meus es tu* a posterioribus *ego hodie genui te*, ita ut sensus sit: ideo quia filius meus es tu aeterna generatione, constitui te sacerdotem, et postea excitavi te, seu *genui te*, quia resurrectio veluti nova generatio spectari debet ex ipso usu loquendi sacrarum scripturarum (a).

Verba autem ejusdem Apostoli ad Rom. I. duplicem sensum admittunt. Referuntur primo ad declarationem sive manifestationem divinae Christi naturae juxta graecam lectionem (b), ut postulare etiam videntur quae sequuntur in quibus sermo est de natura Christi divina; hoc autem sensu Apostolus significat adductis verbis, ex divina Dei omnipotentia quae emicuit per effusionem Spiritus Sancti, quae est fructus resurrectionis, declaratum esse divinam Christi naturam. Juxta vero latinam vulgatam referuntur verba Apostoli ad Christi humanitatem ac sensus iste tunc exsurget: Christi humanitas fuit praedestinata, seu decreta fuit a Deo Incarnatio ut adoptionem filiorum reciperemus juxta illud quod idem Apostolus scribit Gal. IV. 4. ubi hoc ipsum dogma traditur, nempe Filium Dei natum esse ex muliere, ut Spiritum Sanctum in corda nostra diffunderet, ac in I. c. ep. ad Rom. ubi edocemur Christi humanitatem praedestinatum a Deo esse, ut conjungeretur hypostatice cum Verbo « in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N. », id est ad effundendum Spiritum S. quem ex Jesu Christi resurrectione accepimus (c). Neuter autem sensus officit catholicae veritati.

Ad 3. N. Siquidem Christus missionem ac sanctificationem, id est destinationem ad munus suum messianum implendum attulit tantum, ut a se amoveret blasphemiae crimen sibi a Judaeis impactum eo quod se Filium Dei appellasset, argumentum instituendo a minori ad majus. Ceterum non solum denominationem Filii Dei, sed rem ipsam sibi vindicat, et aperte declarat ita se esse natura Deum, ut ipse in *Patre*

(a) Cf. Matth. XIX. 28. ubi resurrectio vocatur *regeneratio*; Christum vero ab Apostolo Coloss. I. 18. dicitur *primogenitus ex mortuis*, et Apoc. I. 5. *primogenitus mortuorum*. Cf. Maran. I. P. c. V. §. 3.

(b) Etenim *Τὸ πρῶτόγεντος υἱὸς Θεοῦ* apte reddi possunt: *qui declaratus est et demonstratus Dei filius*. Cf. Trinum in h. l.

(c) Cf. Maran. op. c. I. P. II. c. XXI. §. 7.

Pater in se sit; nec dubium esse potest, quia Dei verus et aeternus sit Filius, qui in Patre, et in quo Pater est. Idem perinde sonant verba illa: « Ego in Patre et Pater in me est » ac *Filius Dei sum*. Ut hoc vero prophet provocat Judaeos ad miracula sua: « Si non facio, inquit, opera Patris mei, nolite credere mihi; et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre. » Quod cum probe intellexissent Judaei, ideo voluerunt ipsum lapidare. Falsum igitur est quod assumit Crellius Christum hic minime declarasse se esse summum illum Deum, atque ex Patris essentia genitum (a).

I. Inst. Apostolus I. Cor. XV. 24. ea habet, quae cum natura divina in Christo componi nullatenus possunt; ait enim: « Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus... Cum autem dicat: omnia subjecta sunt ei; sine dubio praeter eum, qui subjecti ei omnia; tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecti sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. » Ex quibus patet Christum non esse summum Deum, 1. quidem quia regnum suum Patri tradet, quo pacto, inquit Crellius, potestatem suam dux a rege bello alicui gerendo praefectus, bello confecto regi tradet; 2. quia ipse Dei Filius subjicietur aliquando ei, qui subjecerat sibi omnia, nempe Patri. Ergo.

R. N. A. Ad 1. illationem N. juxta Apostolum traditurum esse Christum potestatem suam Patri ut ducem, qui bello confecto regi, a quo praefectus bello est imperium resignat. Christus enim tradet regnum ut Filius Patri quocum et cum Spiritu Sancto unum prorsus habet imperium. In sensu enim Crellii suum haberet regnum Christi; at Angelus alloquens B. Virginem testatur illud fore perpetuum « Et regni ejus non erit finis. » Quare Apostoli verba: « donec ponat inimicos » etc. confirmant et asseverant, quod non nullis fortasse dubium videri potuisset, Christum nempe regnaturum in medio inimicorum, ac potestates omnes et principatus subacturum. At necesse non fuit asseverare eum post debellatos hostes regnaturum, cum manifestum sit multo majorem tunc regni ejus splendorem fore.

Ad 2. D. Filius subjicietur Patri ut caput ecclesiae cum integro corpore mystico, completo scilicet electorum numero, C. in sua persona N. Ex futura enim illa subjectione Filii sequitur eum nondum esse subjectum Patri; ex modo autem, quo nunc dicitur non esse subjectus colligimus, quoniam modo aliquando subjiciendus sit. Jam vero non aliam ob causam Filius nondum subjectus est Patri, quam ex eo quod nondum omnia illius membra subjecta sunt. Adhuc enim illud corpus « crescit in augmentum Dei » (b); adhuc opus est pastoribus et doctoribus « ad constan-

(a) Cf. Maran. I. c. §. 6.

(b) Coloss. II. 19.

mationem sanctorum... in edificationem corporis Christi » (a).

II. Inst. Atqui ex Apostolo Heb. I. quidquid de Christo praedicatur ei essentialiter non est, sed communicatum a Deo summo. Etenim cum docuisset Christum, purgatione peccatorum nostrorum per semetipsum facta, consedis ad dexteram Dei in excelsis, addit, V. 4 et sqq.: « Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius (hoc est praestantius seu excellentius) praer illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. » Jam vero 1. quod hereditate obtinetur a generatione proprie dicta seu divina repeti nequit; quod confirmatur ex verbis sequentibus: « Ego ero illi in Patrem » etc., quae verba cum in futuro proferantur, evincunt non agi de re ejusmodi, quae Dei summi sit propria, eo magis quod verba illa in primo seu literaliter sensu de Salomone Christi typo prolata fuerint, ut ex II. Reg. VII. 14. aliisque locis constat; Salomon autem nequit typus esse Christi quoad aeternam generationem (b). 2. Nec obest ibidem dici « Per quem fecit et saecula; » ut enim Grotius animadvertit, illud *per quem* tantumdem valet ac *propter quem*, et exprimit causam finalem: recepta enim erat apud veteres Rabbinos sententia Deum mundum condidisse propter Messiam (c). 3. Hinc ibid. Apostolus vocat Christum *splendorem gloriae et figuram*, (seu characterem) substantiae Dei, ut alibi vocavit imaginem Dei invisibilis; porro splendor, seu ille in quo refulget Dei gloria, et imago Dei ejusdem numero substantiae cum Deo esse non possunt, alioquin sui ipsius splendor et imago foret (d). Ergo.

R. D. A. In natura humana, C. in natura divina N.

Ad 1. prob. D. Sub uno eodemque respectu seu in natura divina, C. in natura humana N. Ideo autem haereditavit Christus in natura humana, quia ab aeterno genitus est in natura divina. Duplici propterea titulo eidem talis haereditas seu exaltatio competit, tum nempe ob filiationem ejus naturalem, tum ob ea, quae in natura assumpta passus est. Hac ratione omnia optime coherent, quae de utraque natura hic Paulus disserit, et componuntur praeterea cum doctrina catholica sive adducta testimonia, sive quae de Salomone tanquam Christi typo proferuntur.

Ad 2. N. Falsam autem esse Grotii interpretationem ostendunt 1. omnes interpretationis regulae quas ipse possundat, dum contendit *per quem deus deus* idem valere ac *deus deus propter quem*, quum tot locis scriptura testetur omnia per Christum creata (e), seu per Verbum (f); 2. contextus; scribit enim Apostolus ib. de Christo, quod initio terram funda-

(a) Ephes. IV. 12.

(b) Ita Crellius op. c. cap. XXX. p. 58.

(c) Cf. in Crit. sac. t. VIII. in b. l.

(d) Crell. op. c. arg. XXX. p. 51.

(e) Coloss. I. 16. Apoc. IV. 11.

(f) Jo. I. 3.

vit, et opera manuum ejus sunt caeli; deinde quomodo portare potuisset omnia verbo virtutis suae, qui non omnia creavit? 3. quia ipsimet biblici rationalistae ejusmodi commentum rejiciunt (a).

Ad 5. N. Sed vocat splendorem gloriae, et figuram substantiae *Patris*, non *Dei*. Ejusmodi autem voces nihil aliud exprimunt, quam nominis *filii* explanationem. Necesse est enim ut Filius coaeternus sit et consubstantialis Patri. Utrumque autem his verbis mirifice adstruitur. Nam splendor ejusdem naturae et gloriae est, et aequae aeternus ac lumen a quo emanat; *figura* vero; seu ut gr. dicitur, *character substantiae* Filium ipsum designat in quo, tanquam in sigillo tota *Patris* impressa est substantia; ita ut sit perfectissima imago *Patris*. Haec autem ut necessaria sunt ad veri filii notionem, ita omnino abhorrent a rei create natura et conditione (b).

Quod si Coloss. I. 15. Paulus Christum dicit *imaginem Dei invisibilis*, vocat etiam *primogenitum omnis creaturae*, quatenus nempe, ut subdit, V. 16. et seqq.: « In ipso condita sunt universa, in caelis et in terra, visibilia et invisibilia . . . , omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. » Quibus verbis evidenter adstruit eandem in filio naturam ac in Deo summo, ac propterea patet nomen *Dei* usurpari hic ab Apostolo in sensu quo illud tribuit *Patri* a quo Filius sola generatione distinguitur. Ruit propterea Crellii cavillatio (c).

CAPUT II.

De natura Christi humana.

Qui humanam Christi naturam impugnarunt anteriores his sunt qui ejusdem divinitatem sunt inficiati (d), indignum Deo esse autumantes eum adeo sese demittere ut infirmam et imbecillam naturam nostram sibi copulaverit. Non una tamen eademque ratione veteres illi haeretici in hoc articulo a veritatis tramite deflexerunt. Alii siquidem circa Christi carnem, alii circa animam aut circa utriusque originem et proprietates gravissimos errores sectati sunt.

Qui adversus Christi carnem ejusque originem insurrexerunt communi *docetarum* (e) nomine sunt nuncupati. Ex his docetis alii veritatem ipsam carnis impugnarunt *phantasma* verae carni substituentes, alii *qualitates carnis proprias* tantum ei detraxerunt (f). Do-

(a) Cf. Rosenmüller in h. l.

(b) Cf. Maran, l. c. cap. X. §. 2.

(c) Reliquas difficultates saltem praecipuas cf. in tract. de Trinit. n. 45. seqq. tum n. 166. seqq. ubi de trinitate personarum, ac de Verbi divinitate egimus. Cf. etiam Petav. de Incarnat. lib. XVI. capp. I-V. necnon de Trinit. toto libro III. adversus Crellium.

(d) S. Joannes Evangelista hos refellendos praecipue sibi assumpsit in duabus prioribus suis epistolis. S. Irenaeus ejusmodi haeresin repetit a Simone mago. Cf. lib. I. Cont. haer. c. XII. seqq. ed. Mass. Cf. etiam l. V. c. XVIII.

(e) Sic dicti a *doctores* videtur. *speciem praefero*.

(f) Quod jam adnotaverat Tertull. de Resurr. carn. c. II. « In ipsa prius carne ejus (Christi) erraverunt, aut *multae veritatis* contentiones eam; secundum

celismus communis fuit omnibus gnosticorum familiis, qui pariter errarunt tum circa carnis Christi naturam aut qualitatem, tum circa ejus originem; nam Christo hi tribuebant carnem, seu corpus aethereum e sideribus et superioribus mundi substantiis desumptum quod transit per Mariam ut aqua per fistulam aut tubum. Itaque solam corporis aut carnis speciem Christo tribuerunt *phantasiadocetae*, *phantasiastae*, *manichaei*, *priscillianistae*; corpus caeleste per Mariam editum commentum sunt Bardesanes, Basilides, Apelles, Pauliciani (a). Recentiori aetate anabaptistae, quakeri, Borigonia, Poirétus alique fere cum gnosticis insanierunt nescio quid caeleste Christi corpori tribuentes (b).

Alii vero haeretici contrarium iter arripientes Christo vel solam carnem sine anima dederunt ut arianorum plerique; alii animam sed ratione seu mente earentem Verbum assumpsisse autumant ut Apollinaris ejusque assectae, de quibus merito scribebat S. Augustinus: « Videte absurditatem et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis (c). » Huic alios errores postea apollinaristae adtexerunt (d).

Rursum circa humanam Christi naturam, seu potius ejus originem a vero describere haeretici illi qui Jesum ex Josepho progenitum fuisse contenderunt, adeoque ceterorum hominum more ex Maria progressum. Sic Cerinthus, Carpocrates, ebionitae eorumque sectae. Hoc commentum e suis cineribus excusserunt ac denuo instaurarunt rationalistae, qui Christi nativitatem ex Virgine pro mytho sacro habent ex Judaeorum opinionibus quibusdam et prophetarum oraculi aevi sequiore demum composito, aut ex eventis quibusdam miraculorum speciem praeseferentibus exorto (e).

Cum vero permolestum sit singillatim recensitas

Marcionem et Basilidem; aut *propriae qualitatis*, secundum haereses Valentini, et Apellem. »

(a) Cf. Petav. de Incarn. lib. I. c. IV, ubi omnium istorum haereses describit.

(b) De quibus Cotta ad Gerhardum Loc. theol. t. III p. 406. Diss. I. p. 15. seqq. IV. 17. seqq.

(c) Tract. XLVII. in Jo. n. 8. De apollinaristarum haeresi agit S. Epiph. haer. LXXVII. ed. Pet. ubi refert §. 25. ipsos dedisse quidem Christo *ψυχήν*, nempe *animam*, non autem *νοῦν*, id est *mentem*.

(d) Ex Epiphano autem et ex Theodoro aliisque veteribus Petav. l. I. c. VI. apollinaristarum errores prosequitur. Attamen Nat. Alex. II. Eccl. sec. IV. c. III. ar. 14. si demas praecipuum errorem, quo Verbum in Christo vices animae supplevisse effutabat Apollinaris, reliquos errores non tam ipsius Apollinaris, quam ejus discipulorum fuisse contendit.

(e) Ita Wegsch. §. 125. Sic pariter De-Wette de Relig. et Theolog. p. 186. qui quod dicitur de Christo concepto de Spiritu S. et nato ex Virgine Maria exponit velut formulam symboliceam qua significetur religionem ex Deo esse, atque ut symbolum characteris divini Christi Jesu, cum ratio refugiat ab admittendo omnium hominum perfectissimo, nempe Jesu, realiter producto ope supernaturalis conceptionis diversae a communi ceterorum hominum. Paulusio Comment. in IV. Evang. non aliud est, Christum ex Maria matre Virgine conceptum atque natum virtute Spiritus S.

haereses ac magna ex parte prorsus obsoletas refellere, duo nobis praestituimus generatim vindicanda. Alterum est integritas humanae naturae in Christo, ex quo tanquam generali principio velut totidem corollaria deducemus veritates singulas adversus singulares errores illius integritatem quoquomodo labefactantes; alterum vero est supernaturalis Christi conceptio, ex qua intemerata B. Mariae Virginitas salva consistit. Sit igitur

PROPOSITIO I. — *Verbum Divinum naturam humanam nobis consubstantialem assumpsit integram atque perfectam.*

De fide est, ut constat ex concilio chalcedon. definiente Christum « perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem *per omnia similem nobis absque peccato* » (a); tum etiam ex symbolo Athanas. in quo Christus dicitur: « Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, et humana carne subsistens. » Quem quidem fidei articulum ita evincimus.

Divinae litterae non modo sapissime Christum *hominem* et *filium hominis* appellant, verum etiam ea perpetuo ac constantissime eidem tribuunt, quae veritatem humanae naturae procul dubio demonstrant. Etenim de illius conceptione loquuntur, nativitate, genealogia, deque ejus universa mortalis vitae ratione, morte, sepultura atque resurrectione. Quae omnia profecto veri hominis sunt. Neque alia est sanctorum Patrum sententia, qui non solum veritatem catholicam confirmant adversus quoslibet ejusdem impugnatorem, sed praeterea argumenta congerunt ad eam constabiliendam, quam 1. quidem ex eo probant, quod si alterutra pars humanitatis in Christo deesset, non esset verus homo; 2. ex fine incarnationis Deique consilio, qui voluit ut homo per hominem redimeretur; 3. ex eo quod mediator esse Christus debuit, adeoque verus homo verusque Deus, et utriusque consubstantialis; 4. denique ex eo quod totum et integrum hominem liberari oportuit, unde et assumi. Horum testimonia copiose profert et evoluit Petav. (b). Huic accedunt symbola, fidei professiones et conciliorum definitiones, quas vel exhibuimus, vel commemorabimus cum adversus nestorianos atque eutychanos unam Christi personam in duplici natura ostendimus. In eo igitur sacrae litterae cum divina traditione consentiunt, quod Verbum Divinum humanam naturam assumpsit nobis consubstantialem, integram atque perfectam.

Ex his vero ita generatim constitutis sequitur

quam quod haec, nempe Maria, se ad notitiam praebuisset juveni, qui se mentitus sit esse Angelum, promissione accepta, futurum, ut pariat Messiam. Sic ceteri passim rationalistae protestantes in Germania. Cf. Alber. op. cit. tom. I. prol. §. 14.

(a) Actione V. in collect. conc. Hard. t. II. coll. 455.

(b) De Incarn. l. V. c. XI. §. 7. seqq.

COROLLARIUM I. — *Christi caro est vera, solida et expressa, non autem ficta neque umbratilis neque apparens atque phantastica.*

Nisi enim ejusmodi carnem Verbum assumpsisset, Christus nullo modo vel esse vel dici posset consubstantialis nobis. Sane carnis suae veritatem luculentissima plane ratione comprobavit ipse Christus, cum Luc. XXIV. 39. discipulis suis dicebat: « Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnis et ossa non habet sicut me videtis habere; » jam vero ut recte argumentabatur S. Augustinus: « Si phantasma fuit corpus Christi, sefellit Christus: et si sefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus » (a). Eidem jam praerant in hoc argumento Irenaeus lib. III. c. XVIII et XX., Tertullianus lib. De carne Christi c. V., Epiphanius Haeres. LXXVII. n. 25. et alibi, alique Patres.

DIFFICULTATES.

Obj. Scripturae excludunt veritatem carnis Christi. etenim 1. affirmant non habuisse Christum nisi hominis et carnis similitudinem, aiente Apostolo Philipp. II. 7. « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo », ac Rom. VIII. 3. « Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati. » Quod 2. congruit cum iis, quae idem Apostolus scribit I. Cor. XV. 50. « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, » ideoque neque Christi caro: 3. quare sibi semper constans II. Cor. V. 16. scribit: « Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus; » respiciens scilicet ab absurdo illo errore in quem rudis adhuc in apostolatu incidere solent veram credendo Christi carnem. 4. Sane Verbum licet in V. T. vere apparuerit carne indutum, veram tamen carnem minime praese ferebat, quod de Angelis potiori jure affirmandum est, etsi omnia officia praestiterint hominis propria; 5. demum ratio ipsa clamat minime decere carnem immundam, corruptibilem, mortalem, plurimisque imperfectionibus scatentem divinam naturam consociari. Ergo.

R. N. A. Ad. 1. prob. D. Affirmant Christum non habuisse nisi hominis et carnis similitudinem *speciei*, C. *natura* N. Apostolus igitur in priori textu nil aliud significat, nisi Christum speciem praese tulisse ceterorum hominum, neque in aliqua re quoad naturam a ceteris differre, prout contextus postulat, alioquin nec Deus fuisset. In altero textu similitudo refertur ad *carnem peccati*, non autem ad carnem absolute, adeo ut juxta Apostolum Christus habuerit quidem carnem corruptibilem et passibilem, ejusmodi nostra est, immaculatam tamen et a quavis peccati labe immunem.

A. 2. D. Prout caro et sanguis spiritui seu sancti-

(a) Lib. LXXXIII. QQ. Querst. XIV.